DE CONCEPTIONE DISSERTATIO INAUGURALIS JOS. FRAN. VENTURI

Giuseppe Francesco Venturi

DE

CONCEPTIONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

JOS. FRAN. VENTURI

PATAVII

TIPIS SEMINARII

MDCCCXLIV

. . . . non propriis experimentis,
sed aliena edoctus sapientia.

TISSOT

CLARISSIMO . VIRO

— PATRVO . PERAMATO —

FRANCISCO . ANTONIO . VENTVRI

A . CONSILIIS

TRIBVNALIS . CIVILIS

PRIMAE . INSTANTIAE . VENETIARVM

QVI

PATRIO . AMORE

RARA . INDEFESSAQVE . CHARITATE

DIFFICILI . IN . IVVENTVTIS . TRAMITE

GRESSVS . MEOS

DIREXIT

GRATI . ANIMI . ERGO

HASCE . PAGINAS

DICO

104

Ω' τολμηροτάτης φύσεως ἄνθρωπε τέχνασμα.
Zoroaster - de Magia

Vix dum emerseram e subselliis medicinae scholarum, iis non amplius consessurus, de inaugurali dissertatione, quae ad medicam lauream rite adipiscendam publicae hic submittitur disquisitioni, optans ut ea saltem perendie tantummodo neglecta foret, toto animo cogitare coepi; quaerenti autem quod argumentum potissime diligendum esset, nullum occurrit, quod uno tempore animo curiosiori, studiisque, quibus prae ceteris delectabatur, historiae naturalis, physiologiae, obstetriciae felicius responderet, quam brevis aliqua de conceptione expositio.

Utrum psychice tantum, an physice etiam, quum Delphis fundebatur oraculum: Γνῶθι σεαυτόν... homo considerabatur, nec quid credam certum est; sed unusquisque compertum habebit, neminem sui accuratam notionem unquam

possidere, qui unde et quomodo originem ducat, plane ignorat. De propositi ergo utilitate, praesertim e latere scientifico, amplius disserere, o tu, qui legis, contumelia tibi foret; de via autem, cui incessi, nonnulla praefanda veniunt.

Natura, cui hominem immortalem producere non licuit, ut ejus fragilitati quodammodo succurreret, auxilium machinata est, quo illum non per aliquot annorum millia sustineret, sed, immortalitatis studio, ad aeternitatem in nova sobole proveheret. Vita mortuorum, ut ait Plato, sic posita est in memoria viventium, vivitque pater in filio ut artifex in opere. Hoc beneficio propagationis fit, in quem finem naturae et mari et feminae peculiaria quaedam organa suppeditavit, quae genitalia vocantur, quaeque omnia ad singulorum generationem plus minusve conferunt. Quamvis igitur, ut genesis opus recte intelligatur, et anatomica et physiologica illarum partium cognitio omnino necessaria sit; tamen, ut illorum exemplum sequar, quos et in hoc archigymnasio et Ticinensi praeceptores habui, neque in longum nimis protrahatur descriptio, praeter quam de natura seminis, de muliebribus solummodo, ut ea, quae non solum ad congressum accommodata sunt, sed conceptioni evolutionique foetus quam maxime contribuunt, disseram, et quidem summatim, quasi memoriae succurrens, ex eo quod

lectorem medicum ubique suppono, vel saltem praecipua noscentem.

Systemata, quae ad genesis phaenomena quodammodo explicanda et philosophi et rerum naturae periti et vates usque ad infinitum quasi imaginati sunt, (praecipua obiter et historice tangam) ad duo redigi possunt, quorum totidem modificationes alia evadunt. *Epigenesis* fautores, conceptionis productum per se omnino, beneficio coagmentationis molecularum, quae juxta eorum opinionem ipsa vi actus generatoris extemplo ad se invicem admoventur, ita efformari volunt, ut actui illi neutiquam praeextiterit, sed quum in utero gignebatur, una cum partibus organicis earum coordinationem proprietatesque acceperit. E contra *evolutionis* sectatores, genesis productum conceptioni sic praeexistere intelligunt, ut tunc tantum quasi a torpore expergefactum et quodammodo informatum, alacriori vita donetur, ut rapide adaugeatur, atque novae existentiae stadia percurrat.

Scholarum opinioni propior inter tot hypotheses (*) illam eligam, illique prolixiorem operam impendam, quae non longe ab inquisitae rei veritate abesse credam, quae nempe et rationi magis consentanea sit, et simplicissime

(*) Drelincourt suis jam temporibus ducenta et sexaginta duo de anthropogenia systemata enumerabat.

agentis naturae methodo congruere videatur, et, quod magis refert, ex habitia observationibus fluat. Cognoscens tamen quanto plura adhuc desiderentur, ut certi quid tuto statui ac exacte definiri possit, exoptabo interea, occasiones physiologis permulta, quae ad genesis historiam perficiendam hactenus desiderantur, observandi faventes enasci.

Systematibus hucusque prolatis novum addere in tyrone audacia foret.

§ 1.

Genitalia mulierum partes illae dicuntur, quae, viro conspirante, ad nobis simile procreandum destinatae sunt. Aliae internae, externae aliae vocantur, de quibus omnibus quodam ordine aliquid pertingere quum propositum mihi sit, non ab ovario cum Richerand, nec ab utero cum Vesalio, cum Haller etc., sed a partibus exterioribus, utpote quae primo in conspectum veniunt, et a quibus actus Veneris inchoatur, auspicabor.

Quae citra deductionem se se omni tempore examinantium oculis exhibent, sunt: rima, labia, mons Veneris, pili (*).

(*) Les parties génitales extérieures, ne peuvent être regardées comme de simples agrémens; toutes remplissent un but vraiment utile. Les replis de la peau, qui for-

Pudendum muliebre, vulva, a volendo forsan, eo quod — juxta Prov. 30. — insatiabilter coitum velit, exterius intra ossium pubis et ani regionem situm est, eo scilicet loco, quem penis in maribus tenet, et primaria pars, quae hic perlustranda venit, *rima* est, fessura longitudinalis, collapsa, et veluti duabus columellis intercepta.

Rimae circuitus, vel potius vulvae parietes, — plicaturae membranosae, tumidulae, quae a pube descendunt et Veneris monte, — *labia* nuncupantur. Exterius cutis natu am retinent: intus, rosei plerumque coloris, membrana mucosa obtecta, et folliculis munita conspiciuntur. Textus, qui inter laminas invenitur, cellularis, adipatus, flaccidus, in Veneris aestu ob vasorum plexum, qui tunc sanguine repletur, plus minusve turget.

Labiis proxime, primis adolescentiae annis *pili* prorumpunt, quorum usus est partem ornare, velare, et, si vis, ab externis injuriis defendere.

Pubis superior pars, prae reliquis nonnihil eminentior et crispior, *Veneris mons* nominament les grandes et les petites lèvres, se déploient au moment de l'accouchement, et facilitent la dilatation nécessaire à l'expulsion du fœtus. Le mont de Vénus, les poils qui l'ombragent, le clitoris etc. … semblent n'être que des organes de volupté, mais le plaisir n'entre-t-il pas lui-même comme élément dans l'acte par le quel l'espèce humaine se perpétue ? … *Anl. Richerand.*

tur, ea, ni maxime fallor, quod in Veneris castris militaturi monticulum illum primum conscendere debent. Externa substantia cutis pilis obtecta, interna vero, cujus beneficio ita attollitur, maxima sui parte pinguedo est, cujus copia, in juvenculis praecertim, molliuscula illa Veneris pulvinaria constituit, ne scilicet utriusque sexus ossa pubis in coitu ad invicem illisa, dolore genialem actum interturbent.

Disjunctis ab invicem labiis duplex natura in vulva adparet: pars superior carneam quamdam planitiem refert, — vestibulum vocant; — pars inferior aditus vaginae est. In superiori vestibuli parte teres, glandiforme, sobrubens corpusculum prominet, Graecis κλειτορίς a κλειτορίζειν dictum, quod hanc partem lascive contrectare significat, ni potius verbum a substantivo effluat. Hippocrates, ob similitudinem, columellam vocat, Albucasis tentiginem, Columbus amoris dulcedinem, propterea quod nulla pudendi pars majori delectationis sensu afficiatur, aut mulieres in Venerem magis quam illa exagitet. Particula haec, quae virili peni respondet, ab ossibus pubis bifurcato principio oritur, et radices prope arcum in unum coeunt corpus cylindricum, compressum, bilocularc, superiore parte commissurae ossium pubis membranacea quadam substantia firmissime annexum, quodque in capita quodam, veluti glande,

terminatur. Clitoris ex densa et compacta membranula constat, quae tubum efficit, exque cellulositate laxa, laminosa, et corpore cavernoso, quod sanguinem effusum recipit, quum per Venerem turget. Praeputium quoddam a cute pudendi continuum, superne et ad latera circumpositum, inferne nullum, clitoridis glandem obvelat, in qua, ut observat Haller, sensus tam mire vehemens est, ut tota crure ab ejus sollicitatione contremiscant, feminaeque ita extra se ponantur, ut nihil possint procis negare. Inter clitoridis glandem et praeputium perplures adsunt cryptae sebaceae: hinc odor, quo tota vulva olet. Pro ratione aetatis, ant vitae, magnitudine variat: in virginibus, usque ad decimum sextum annum circiter, leviter tantum prominet, idque praesertim in iis, quae particulam hanc nonquam confricuerunt; contrarium vero contigit in iis, quae sive ignorantes parvulae, sive lascivientes puellae frequenter hanc partem contrectavere. Aliquando ad tantum incrementum pervenit, ut absque labiorum deductione, est crurum divaricatione facillime conspiceretur: qui extraordinarius naturae lusus non unam obstetricem decepit, ut infantem feminam, masculum judicaret; — hinc et androgynorum fabula. — Praeternaturalis clitoridis magnitudo deformitatem, pudorem atque molestiam sum-

mam mulieribus ordinarie procreat, quatenus inter ambplandum a vestimentis attrita ita eas ad libidinem irritat, ut quasi dementia captae volentes nolentes in viri amplaxum ruant; imo, quod horribilius est, virorum ad instar cum aliis mulieribus coëant, fricataeque fricando se se invicem polluant. Quae tamen, ut plurimum in mulieribus observatur, magnitudinem nvulae fere nunquam superat. — Clitoridis nans est Venerem excitare.

Nymphae, quod crederentur aquas regere, a clitoride, cujus fraenulo tam firmiter uniuntur, ut merito ejus productiones dici possint, extrorsum descendunt utriusque ad latera meatus urinarii usque ad centrum orificii vaginae. Non omnibus feminis aeque sunt magnae ac procerae, uti etiam uni eidemque mulieri ambae non pari semper modo eminant. In virginibus vix pollicis transversi longitudinem habent; in mulieribus varo, et iis, quae partes has petulcis digitis emulgere ac protrahere consueverunt, aliquando in miram magnitudinem excrescunt. Nymphae non male palearibus, quae pullis gallinaceis sub gutture enascuntur, comparari possunt, eoque magis, quod in Veneris aestu earum parietes simili fere rubello colore gaudeant. Nympharum usus est prosilientem urinam quodammodo regere, voluptatisque concupiscentiam

intendere, quatenus inflatae, virile membrum comprimendo, titillationem adaugeant.

Digito circiter transverso sub clitoride, immediate supra vaginae orificium, nymphas intar, *meatus urinarius* conspicitur. Urethra sinus mucosos numerosissimos habet, plurimasque lacunas, ex quibus omnibus humor erumpit tum urethram obliniens, ne lotii sentiatur acrimonia, tum ad pudendum in coitu cum jucunditate lubricandum.

Orificium vaginae, canalis hujus nominis principium est, pro ratione aetatis, aut vitae diversimode efformatum; in juvenculis atque virginibus *hymene* plus minusve clausum, patens in iis, quae virum passae sunt.

De hymene multum inter se veteres altercati sunt: nonnulli, si inveniatur, praeter naturae institutum esse asserebant; alii e contra, in omnibus quas secuerunt virginibus adfuisse sustinuerunt. Eadem fere lis quoad substantiam et locum et formam. Juxta neotericos hymen nil aliud est, nisi duplicatura quaedam membranae mucosae, qua in nonnullis virginibus orificium vaginae plus minusve clauditur. Primo coitu, si fortiori priapo dilatari nequit, aut alioquin petulanti quodam attritu, divulsa, laceratave abolotur; hinc *carunculae myrtiformes* — tubercula quaedam subrubra, plus minusve prominen-

tia, verrucosa, callosa, nunc orbiculata, nunc depressa. — Hymen saepe rotundus, quasi anulus, os vaginae circum circa ambit; falcatus autem plerumque detegitur, ita ut aditus, per quem menses effluunt, hymenis limbo atque urethrae orificio interceptus sit. Per hanc membranulam, si adest, plurima vascula diffunduntur; inde primo in coitu sat frequens lintei cruentatio.

Fraenulum duplicata cutis est, in quam labia ad angulum inferius conveniunt; in juvenculis tensum, in puerperis laxatum plerumque conspicitur. *Spatium naviculare* concavum illud appellatur, quod inter fraenulum est et orificium vaginae.

Inter genitalia interna principatum obtinent: *vagina, uterus, tubae Fallopianae* et *ovaria.*

Vagina, — eo quod membrum virile in se recondit, atque illud, non aliter quam vagina gladium aut cultrum, excipit, — canalis est, in universum cylindricus, qui in inferiori parte pudendum, in superiori uterum, in anteriori vesicam, et in posteriori intestinum rectum obtinet. Figura ejus oblonga est, in coitu undique se se peni applicat, et secundum omnes dimensiones se se eidem accommodat, ita ut vaginae figura concava eadem sit cum penis figura convexa. Orificium angustius est, quam pars media; et rursus ejus finis magis coarctatur, ita ut dum aperitur se-

cundum longitudinem, figuram quodammodo navicularem repraesentat. Quum modo sex, modo septem, modo octo digitorum transversorum longa observatur, satis accurate cum membro virili quadrat, ac glans facillime ad uteri osculum pertingit, ut semen per ipsum in fundum projiciat. Virginis parangusta vagina tritu venereo atque partu latissima fit, ita ut ad tres uncias et ultra pertingat, nec amplius per reliquam feminae vitam puellarem arctitudinem recuperet; quamvis in salacibribus nonnullis Veneris congressui jam diu assuetis ita angusta inveniatur, ut vix in puellulis minus libidinosis reperiri soleat. Deducto vaginae orificio, spongioso corpore percincto, cujus cellulae, ut illae clitoridis atque penis, sub coitu sanguine replentur, superficies interna pulcherrima plicarum fabrica ornatur, quas, in virgine elegantissimas, partus hactenus confundit, ut tamen confestim plus minusve restituantur. Praeter rugas, parietes vaginae, et praesertim anterior, papillis danse confertis stratae conspiciuntur; quod ideo volunt, ut glans inaequalitate illa blandius agitata majorem in coitu tentiginem atque delectationem procreet. — Ad organisationem quod attinet, vagina a membrana cellulo-vasculari valde stipata atque rubra, a membrana mucosa, a textu spongioso, a sphinctere quodam ad arctum colli amplexum, vasis atque

nervis afformatur. Ob fibras, quae robustae ejus parietes pererrant, contractilis vis in vagina residet, quam mas in coitu feminae accepto facile percipit. Per vaginae ductum plurimi hinc inde reperiuntur poruli, folliculorum lacunarumque orificia; nullibi tamen majores numero atque dimensione, quam in inferiori ejus parte, ubi prostata Bertholiniana adest. Ex omnibus bis mucus quidam tanta copia emanat, quanta ad nervosae tunicae sensilitatem integram servandam necessaria est; imo in Veneris actu tam copiose erumpit, ut extra pudendum profluat. Actio vaginae est ejus erectio, ut in coitu congrua penis effricatio ad semen eliciendum necessaria fiat, et semen facilius ad uteri fundum pertingat.

Uterus, matrix, genitura etc., organum illud est, quod foetum in ovario conceptum a tubis excipit, substantiam nutritiam parat, qua evolvatur, et maturum extra propellit. Situs in parva pelvi, inter vesicam et intestinum rectum, ligamentis, *rotundis* nempe atque *latis*, parte illa quae collum dicitur, sustentatur; dum ejus fundus, qui ad foetus incrementum augeri debet, ut ita extendatur contrahaturque liberius, nulli annectitur parti. Retrorsum paulum fundo suo inclinatur, collo antrorsum nutat, non plane ad perpendiculum positus. Forma uteri varia est: in non gravidis lagenae aliquantisper compres-

ase figuram repraesentat; in gravidis, prioribus mensibus, vesicae urinariae non absimilis, pedetentim magis magisque distenditur, ita ut postremis mensibus ad figuram sphaericam proxime accedat. Interna uteri superficies a membrana mucosa obvestitur. Varias lacunas efformat, tubas Fallopianas penetrat, et sic cum peritonaeo conjungitur. Ex hac tunica, quae tenuior in uteri cavitate, et spissior in cervice observatur, mucosa secretio fit, quae continuo uteri parietes humectet, et sub Venere est copiose erumpit. Cavitas colli in extremitatibus magis, quam in medio coarctatur; imo inferior ejus angustia, in virginibus praecipue, tam exigua est, ut stylum tenuiorem vix excipiat; qua de re non video quomodo nonnulli physiologi os uteri in coitu fecundo ita dilatari statuant, ut glandem suscipiat. Osculum in vaginae capacitate prominens *tincae ori* persimile credunt: hinc et ejus denominatio. Altera et quidem propria uteri cavitas, licet latior sit, fabam tamen majusculam in non gravidis vix capit. Figura ejus ad triangulum proxime accedit, nisi quod angulus, qui os uteri internum dicitur, longior est; alii, in fundo existentes, utrinque a tubis Fallopii exiguo foramine perforantur. Uteri parietes a membranis serosa et mucosa, a peculiari parenchymate, cujus crassities, in fundo saltem, ad spissitudinem 5

et 6 linearum pervenit, vasis atque nervis eflormantur. Externa uteri membrana a peritonaeo originem habet. Post partum matrix contrahitur, et ad virginalem fere statum redit.

Tubae, ab anatomico qui primus eas descripsit, *Fallopianae* dictae, canales sunt, qui ab uteri fundo, angusto admodum principio, enascuntur, et ab alis vespertilionis, quorum inter laminas sunt, sustinentur. Per uteri substantiam aliquandiu recto ductu excurrentia pedetentim dilatantur, et ubi notabilem capacitatem adeptae sunt, sensim incurvantur, de latere ad latus flexae contortae excurrunt, et in fine, ubi latissimae sunt, illico rursus coarctantur, partesque ultra se se extendentes, fimbriis quibusdam, — quarum longior ovariis quandoque annectitur, — foliaceum ornamentum referentibus, terminantur, cujus figura elegantissima, quasi floris cujusdam petali, conspicitur, si in aqua microscopii beneficio aut aliter perlustretur. Substantia tubarum duabus constat membranis, quarum interna mucosa est et admodum corrugata, — inter corrugationes sinus mucum gemunt; — et externa communis cum ea est, quae uterum obveldt. Inter membranas textus fibro-spongiosus et vasa permulta inveniuntur, quae quum in Veneris actu turgida fiunt, tubae eriguntur, earumque expansio libere quasi in abdomine huc illucque fluctuans,

ovario applicatur, illudque amplectitur. Per tubas seminis virilis in uterum ejaculati pars, — aura forsan seminalis, — ad ovaria et vesiculas illis contentas pervenit; itidem per eas ovula ex ovario prolabentia ad uterum transeunt.

Ovaria, quae veteres, ut analogiam utrinsque sexus melius tuerentur, testes dixerunt, situm obtinent in intima abdominis cavitate, inter laminas ligamenti lati, utrinque duobus digitis transversis ab uteri fundo, cujus lateribus, valido ligamento, cumque ala vespertilionis antrorsum educta annectuntur. Ovaria antica et postica sui parte depressa, in superiori potius convexa, in inferiori gibbum obtinent, ita ut a nervis et vasis et ligamentis divisa, semi-ovalem figuram quodammodo depressam exhibeant. Praeter peritonaeum ovaria propria gaudent membrana, densa et laevigata in juvenculis, crispa et rugosa in adultioribus. Oblato ovariorum involucro substantia nobis contemplanda venit, succulenta, laminosa, naturae cellulosae, ex plurimis vasculis ac fibrillis laxe sibi invicem cinctis, in cujus intercapedine permulta reperiuntur corpuscula, vesiculae liquore quodam limpido turgentes, in quibus *ovula* neotericorum latent, ut pleraque tamen modice sub membrana ovarii emineant, aliqua tota de ovario se se offerant, alia demum in cellulosa substantia lateant. Vesiculae quoad

numerum et magnitudinem maxime variant; nonnunquam in uno ovario supra quindecim numerantur, quorum majora circumferentiam tenent, dum minora profundius locata sunt. Vergentibus annis ovaria minora fiunt, et ovorum loco tubercula se sa offerunt duriuscula et quasi cartilaginea, et in mulieribus quae pepererunt, nunc una, nunc plures inveniuntur cicatrices, quasi sulci minimi velamento tenuissimo obtecti: corpuscula rotunda, callosa, quae sub hoc velamine deteguntur, apud physiologos *corporum luteorum* nomine innotuerunt. Eorum numerus foetibus conceptis plerumque respondet. In foetu ova noodum reperiuntur, sed in puellis utique teneris, ante tempora Veneris visa sunt. Eorum membrana non durissima, simplex et vasculis ab ovario acceptis dives conspicitur. Intus ovum laevissimum est, absque glandulis, aut reticulo; humore limpido repletur, aliquando rubello, aut luteo, in alcoole et ad ignem coagulabili, et in alba robusta fila, ut albumen, coeunte: sapor non alius quam ille spermatis est.

§ 2.

Seminis purissimi natura vix dignoscitur, vel potius omnino adhuc ignoratur. Humor enim per vim venereae commotionis de pene expulsus nil aliud est, nisi permixtio secretionis te-

sticulorum — spermatis proprie dicti, — cum variis exhalationibus mucosis, quas organa fere omnia — a semine permeata — suppeditant. Si vix expulsus examinatur, in universum albus est, et duabus substantiis, oculo etiam nudo, componi videtur, quarum una densa et quasi opaca, subpellucida altera et tenuior adparet, eoque magis, quo debilior homo et Venus frequentius repetita. Pondere alios humores animales superat, et in aqua pars altera subsidet, altera innatat. Pars seminis, quae aquae innatat, filis subtilissimis in pelliculas araneosas coit, et rotundas crustulas natatiles efficit. Pars, quae fundum petit, mucosa potius est, et quasi pulposa, totiusque seminis partem majorem facit: ex hac etiam subinde bullis aereis suspensae laciniae in altum emergunt. Post 15 circiter horas crustulae fundum petunt et evanescunt; aqua tamen flocculis et albis micis conturbata conspicitur. Diu retenta Venere, semen lucidos globulos, flavescentes, duriusculos continet, qui per siccitatem ut gummi contrahuntur. Ponderosis leves particulae commixtae sunt, quae in aere ipso natantes vaporem de recente semine adscendentem odoremque efficiunt, qualem radices et antherae multarum plantarum, bulbi orohidis etc. spargunt. Ab alcoolë semen cogitur; ab acido nitrico et sulphurico solvitur; cum aqua calcis lentor

aufertur; et igne adhibito spiritus sui generis habetur. Juxta analisin, quam de spermate dominus Vauquelin instituit, ex 1000 partibus, 900 aquae, 60 muci animalis, 10 sodae et 30 phosphati calcarei sunt.

Liquores, praecipui saltem, qui sperma componunt, sunt: semen in teste generatum, et succus prostaticus. Ex his humoribus, qui communi seminis nomine in Venere emittuntur, vere fecundum illum esse, qui in testibus generatur, jam experientia docuit; et si unquam spadones semel aut iterum praegnantem fecere, in vesiculis seminalibus pars aliqua boni seminis a testibus jam secreti certe superstes fuit.

In semine puberum, recente, aqua diluto, et lentibus conspecto, perplures reperiuntur particulae capite quodam rotundo, et cauda moli capitis parum respondente, alterne flexa, gracilescente, perexigua instructae. Leeuwenhoek primus haec corpuscula animalcula esse docuit. Ceterum experientia ostendit et in urina, et in saliva, imo et in stercore hujusmodi corpuscula inveniri.

Liquor, qui in Veneris certamine, aut a turpi fricatione a mulierum genitalibus tanto persaepe impetu erumpere solet, neque semen est, neque ad generationem immediate confert, neque, — quidquid cum Hippocrate et Buffon epigene-

sis fautores fere omnes dicant, — ab ovariis, vel a tubis provenit. Non ab ovariis, quia nec quarta ex parte tantum liquoris in se continent, quantum uno quasi saltu e pudendis erumpit; et posito etiam quod tantum in se continerent, quum via tam sit contorta, tanto impetu in medium non prodiret: nec a tubis, quum plerumque vacuae sint, neque ad organa secernentia spectent. Unde emanet jam antea dixi.

Muliarum liquor ejusdem naturae est, ac in viris succus prostaticus, quem impuberes emittunt; et si de hujusce muci usu inquiramus, tribus potissimum de causis a natura comparatus fuisse videtur: ad partes genitales obliniendas, ad Venerem incitandam incitatamque adaugendam, praesertim autem ad faciliorem fecundationem.

§ 3.

Juxta Platonem, qui hominum, plantarum, alementorum, caelorumque generationem per simulacra explicat a creatrice divinitate reflexa, motuque harmonico juxta numerorum proprietates perfectissime disposita, generationis essentia in unitate ternionis posita est, illius nempe qui generat, illius in quo generatur, et illius tandem qui gignitur; et individuorum successio nil aliud est, nisi transitoria quaedam imago sempiternae trianguli harmoniae, quasi prototypi o-

mnium generationum. Ecce, inquit Plato, cujus causa duo individua ad tertium generandum opus sint; ecce quo essentialis patris matrisque ordo nitatur, natique relatio.

Causa una, unus finis et una via.... Deus, perfectio, harmonia, ecce tibi complexus idearum Platonis!

Quid sublimius, exclamat Buffon quum hanc hypothesin sat nasute peratringeret, sed uno eodemque tempore quid absurdius? Quomodo nos ipsi materia devincti materialem existentiam schemis impertiemus, quibus mens nostra repletur?

Leucippus et Empedocles, qui universum orbem ab atomis hac illac per infinitum inaneque spatium errantibus compositum docebant, foetus particulas in utriusque parentis semine reperiri, easque fortuitu collectas in foetum uniri volebant. Novissimis temporibus huic hypothesi ab oblivione, in qua diu jacuit, ab *auctore systematis naturae* evocatae, Bourguet leges crystallisationis chaemicarumque praecipitationum applicavit. Et hic Richerand lepide quaerit, an a moleculis primitivis in seminibus natantibus crystallum quoddam sub forma stellae enascatur, cujus radii, duo nempe cerebri, duo cerebelli pedusculis respondeant, quintus, ubi medulla efformari debet, protrahatur, et nodus centro-medullaris illic gignatur, ubi radii conjunguntur!!

Magnus Aristoteles, philosophus Platoni secundus, physicus summopere edoctior, minus libere vagatur per amplissimam hypothesium regionem, observationibus magis innititur, clariusque ratiocinatur; Aristoteles, dixi, qui mulieres, quum pueris et eunuchis quoad vocem, pilos et corporis habitum similes sint, etiam quoad semen assimilari volebat, eademque de causa prolificum semen, ut de jure, illis denegabat; materiam, docebat, quae nil aliud est nisi capacitas formas assumendi, dum generatio peragitur, formam accipere, eique perfecte similem, a quo materia ipsa suppeditatur; et quoad peculiarem hominum generationem putabat, marem principium efficiens, feminam autem sanguinem menstruum tanquam materiam efficiendam conferre.

Hippocrates, qui ut veteres omnes, — quidquid nonnulli de saltatricis ovulo dicant, — ovorum existentiam plane ignorabat, praeter virile, femininum aeque fecundum semen admittebat, imo duplicam unicuique sexui genituram, unam validiorem, imbecilliorem alteram adscribi, foetumque ex his in utero conjunctis efformari volebat, docebatque a seminibus imbecillioribus maris et feminae muliarem foetum, et masculum a validioribus nasci. Hanc hippocraticam hypothesin plus minusve modificatam permulti inter

neotericos subsequuti sunt; nonnulli adhuc venerantur. Cartesius putabat, fermentationem aliquam inter utrumque semen enasci, sic massam incalescere, et oriri novi foetus constructionem; Pascal addebat, spiritum seminalem maris acidum esse, feminae lixiviosum, fervere ea semina, se adtrahere, et sic foetum efformari.

Facundissimus Buffon, qui, — animalculis Leeuwenhoekii et ovulis rejectis, — moleculas organicas in masculo et muliebri semine admittebat, hanc hypothesin amplius adhuc ornavit. Materiam esse in natura rerum, dicebat, quae nutritioni et evolutioni animalium omnium destinata sit, semper viva, semperque activa. Materiam hanc per os receptam se cuique parti animalis adsimilare, formamque partium intime penetrare, et quum in quocunque animali interior quidam modulus sit, — basis haec totius systematis buffoniani, — materiam nutritiam figuram suam accipere. Quando vero materies ita abundat, ut ad alendum animal superflua sit, liquida specie ab omnibus partibus corporis in proprium receptaculum, testes nempe utriusque sexus, remitti. En, juxta Buffon, cujus causa et immaturi non generent, quod nempe nullas moleculas organicas superfluas habeant; et crassi sint eunuchi; quia nihil ipsis decidit; et senes infecundi, quia earum partes nimis durae nil organici remittunt.

Si haec materia organica, quae nutritioni superflua est, per interiorem et maris et feminae modulum transit, et faventem uterum reperit, tunc moleculas in foetum parentum similem conjungi auctoris sententia est. Basis novi animalis partes genitales sunt, quae primae et a se ipsis figuntur: circa eas, tanquam centrum, reliqui corporis particulae ordinantur secundum ordinem, quem in corpore, ex quo prodierunt, tenebant. Putabant enim hujus hypothesis fautores, appetitu insito particulas sibi similes in fluido se adtrahere, inque corpus cum cognatis coalescere, nec prius quiescere, quam quaevis sedem suae figurae et quieti maxime faventem invenerit.

Possem hic utriusque systematis, aristotelici nempe et hippocratici, objectiones ac solutiones longis verborum ambagibus in medium adducere, nisi et id taedio futurum crederem, et a proposito, quo has opiniones paucis et historice solummodo pertractaturum promisi, plurimum aberrarem, eoque minus mihi consultum videtur, quum nunc temporis in neutram partem inclinem; *nunc* dixi, eo quod aetate illa, qua ad persuadendum auctoritas et dicendi copia plus quam argumenta pollent, buffoniana suaso facundia, hippocratica a tanto viro moderata hypothesis simplicissime agentis naturae methodo tam mihi congruere videbatur, ut si eam Blu-

menbachii ditabam doctrina de *nisu formativo*, nil magis rationi consentaneum putarem.

Post Swammerdamii experimenta, physiologi fera omnes evolutionis hypothesin receperunt, germen nempe animalis existere priusquem conceptio accidat, et tunc unica quasi involutae inqua parvum spatium contractae erant animalium partes, eas expandi, explicari, grandescere, et conspicuas reddi. In ovo plerique, aliqui in semine maris animal latuisse malebant.

Diximus in masculo semine corpuscula quaedam minutissima et mobilissima reperiri, et ecce Leeuwenhoek, Boerhaave, Harlsocker etc. qui haec animalcula foetuum primordia esse volunt. Ejusmodi nempe animalculum, quasi ceterorum ducem, in coitu fecundo, longa via ex utero, quo semen viri pertingat, in unum ex ovulis, quae eo tempore a vesicula Graafiana non distinguabantur, per tubas advenire, per ovi foramen (!) valvula munitum (!!) penetrare; recepto novo hospite valvulam claudi, ne novi in idem ovum vermiculi adveniant, at animal raceptum ovi jam solnti vasculis sna umbilicalia offerre, caudam nempe, ut arteriae arteriis, venae venis inserantur. Tunc in ovo ali vermiculum succo, qui in eo est, gelatinoso, ut antea seminis penu vitam austentavit, et porro ovum cum vermicolo in uterum devolvi, esseque ei pro placenta.

Aliter quidem Leeuwenhoek, qui, ovulis rejectis, ovaria pro mera et inutili, ut mammae in viro, testium masculorum imitatione habuit, docuerat; volebat nempe animalcula spermatica utriusque sexus dari, ut illa, quae prope caudam nonnihil discriminis habent, et coire inter se, ingravidari, et parere; sub forma vermiculi veram homunculionis figuram condere, et in fecunda Veneре hujusmodi embryonum unum, duosve, ceteris perfectiores, exuta cuticula, — a qua foetus membranae et placenta, — utero adhaerere, illicque adaugeri.

Hanc hypothesin, quamvis diversimode emendata, quum eam Garden, Keilus, Geofroi, cardinalis Polignac, Scardona, et nuperrime Pravost et Dumas ornandam suscepissent, ast profundas radices egisset, potius quam diffuse refellam, irridat eam Plantade, qui Dallempatii pseudonomine, hujusce systematis fautoris addictissimi specie, fabellam enarret, cujus utrum lepor, an mordacitas major sit, nec quid credam certum est. »Praeterea, inquit, in semine aliquot detaximus animalcula figura haud dissimilia ranarum foetibus, quos mense majo in fossis ac canalibus angustis natantes videre licet; eorum corpora frumenti granum vix excedunt, at cauda totum corpus quatuor, quinquiesve longitudine superat. Caudas ictu in liquore, cui innatant, exiguos ex-

citant fluctus.... Quia vero unquam crediderit talibus sub animalculis corpus humanum latitare? Quod tamen ipsimet propriis oculis vidimus. Dum enim omnia quam accuratissime observaremus, unum se se prodit animalculum, ceteris paulo majus, quod cuticulam, cui inclusum fuerat, exuerat. Hoc animalculum liquido exhibebat femur utrumque nudum, crura, pectus et brachia. Cutis paulo altius protracta instar pilei caput tegebat«. Dein candide subdit: »Sexus vero discrimen dignoscere non potuimus«(*).

§ 4.

Praecipuis de anthropogenia systematibus obiter saltem tactis, ecce hypothesis, quam prae ceteris quoad conceptionem rationi magis consentaneam putavi. Ab epigenesis evolutionisque methodis aeque distans, scholarumque opinioni propior, ova, non uti germina evolvenda, sed potius uti materiam, quam, parte sua, femina conceptioni contribuit, admittenda existimo, ita ut, si sub coitu, favente natura, masculum semen ovulo cuidam ad perfectionem evecto, uti substantia modificans et modificanda, intime se se adjungat, tunc tantum phaenomena illa enascantur, quae sub nomine conceptionis innotescunt.

In animalibus, quae sexu distinguuntur, ut

(*) Nouvelles de la république des lettres.

conceptio locum habeat, coitus requiritur, per quem mas spermatis ope feminae ova fecundet. Coitus, ad quem animalia omnia voluptatis cupidine incitantur, diversimode peragitur. Quomodo in humana specie fiat, omnibus patet.

Penis confricatio in humidis calidisque feminae partibus, titillatio glandis inaequalitate vaginae blandius agitatae, constrictoria actio per topicam irritationem penem firmius amplectentis, amplexaeque mulieris oestrum, primum localem exaltationem inducunt, rigorem membri et volumen adaugent, genioque ita favent, ut sensim voluptas et in mare et in femina ad summum gradum perventa, et universis fere organis propagata, maximum producat virium conflictum, ex quo tremores et convulsiones, quae persaepe coitum concomitare solent; cordis et arteriarum energia vividior redditur, usquedum semen, Venere magis semper magisque increscenti, de urethra frequenti anhelitu et repetitis vicibus quodam cum impetu ad os uteri ejaculatur (*). Eodem tempore humor quidam e genitalibus mulieris maris pubem humectat.

Phaenomena, quae in feminis coitum facundum comitantur, vel subsequuntur, sunt: volu-

(*) Peracta Venere, in viro « au sentiment de lassitude physique se joint un fond de tristesse et de mélancolie qui a bien ses douceurs ». *Ant. Richerand*.

ptas, major minorve prouti feminae majori vel minori sensibilitate donatae sunt; clitoris reapse ob eamdem topicam in Venere parum afficitur, sed in vagina, in vulvae ostio, in nymphis, quae omnia papillis non carent, magna voluptas locum habere potest, et ab ea sanguis in organa genitalia conciri, ut caleant, turgeant et acrius sentiant. Vagina, in puellis saltem, ut virum propins amplectantur, tumescit; os uteri plus minuave hiat; tubae eriguntur, earumque expansio libere in abdomine hac illac fluctuans ovario applicatur, illudque amplectitur; uteri et ovariorum energia exaltatur, ita ut partes ipsae turgescant, et majori sanguinis copia irrigentur. His omnibus praemissis probabile judicatur, quod pars seminis ad os uteri emissi, an subtilior portio, aura seminalis?... ad ovaria per tubas transeat, et vesiculas in illis contentas irroret atque intime penetret; deinde quod propter ovarii universalem exaltationem, et seminis topicam irritationem vesiculae, quae post duas vel tres horas, at aliquando serius in superficie prominent, et fere parvas mammarum papillas aequant, incitentur; et tandem ovula e vesiculis egressa, et ab ovariis, tubarum actione, propulsa, — remanet lacerationis punctum, quod ad cicatricem perductum, corpus luteum constituit, — a tubis excipiantur. ac per internam earum cavitatem motu

peristaltico ad uterum deducantur. Hic transitus, qui aliquando citius, aliquando serius efficitur juxta diversam partium energiam, quandoque interrumpitur, unde variae extra-uterinae graviditates, uti sunt quae in tubis, in ovariis et in abdomine locum habent.

Ecce quomodo Valisnieri, qui inter evolutionis sectatores, stricto sensu, recensendus est, fecundationis opus explicare tentavit: »Entra lo spirito, e per quegli angusti cannelli e andirivieni va a ritrovar l' uovo maturo, penetrandovi probabilmente dentro per quella parte, dove di poi la placenta e gli umbilicali vasi si manifestano, e per quelle strettissime vie portandosi all'inviluppata e rinchiusa tenerissima macchinetta, che già disposta e preparata l'aspettava, dà moto a' suoi liquori, gli agita con incomprensibile placidità e dolcezza, di maniera che alcun poco e con certa legge lentamente movendosi e dilatandosi, sono cagione che le parti o membra aggrovigliate e ristrette alquanto s'espandano e si strigbino, onde incomincino a scorrere i fluidi con velocità proporzionata per i loro canali».

»Non è sì malagevole (ait Berard), come si giudica, di spiegare con questo sistema le molte rassomiglianze fra i padri e i figli. L'embrione impercettibile, tutt'al più, ha la consistenza d'una gelatina leggermente viscosa. Un corpo sì poco

denso dev'essere permeabilissimo, a il seme del maschio, recato alla sua superficie, gli deve imprimere singolarissime modificazioni. Avviene allora dell'azione di questo liquore sull'embrione ancor tenero istessamente che d'un sigillo premuto su molla cera, che ne serba l'impronta. Il liquore seminale del maschio non solamente può agire e agisce sulla superficie del germe gelatinoso, presso che fluido, a modificarne l'esteriore; ma eziandio lo compenetra in ragione della sua estrema mollezza, e induce de'cambiamenti nelle sue parti interiori. Da tutto ciò risulta, che si può non solo spiegare le rassomiglianze fra i padri e i figli, ma anche le malattie ereditarie, o che si trasmettono per via di generazione ».

Quae conceperunt, peculiarem quemdam sensum experiri dicunt, ex voluptate et dolore mixtum. Addunt, horripilatione aliqua, stridore dentium, titillatione peculiari circa regionem ischiaticam, et dolore quodam ad umbilicum affici. Hinc mulieres esse, pergunt, quae altero jam die, imo sub Venere ipsa se concepisse cognoscunt. Quae autem, dum maritum admittit, tam otioso animo erit, ut ad hujusmodi perleves alterationes attentior esse possit? Nemo quaepiam; et quum se, longo abhinc tempore, concepisse noverit, ejusmodi phaenomena jam de memoria elapsa erunt.

THESES DEFENDENDAE

I.

Systemata transeunt: scientia autem, ut ea quae intime nobis insita est, sempiterno eadem.

II.

Hydrojodas potassae in secundaria potius, quam in primaria syphilide cum utilitate propinatur.

III.

Plura, quae circa mysteria enarrantur, initiationes, Sybillas, Pythias, magiam, mesmerismo referenda.

IV.

Medicus, qui aegro pulsum non tetigit, aegrum non vidit.

V.

Neque hymen certum virginitatis indicium a natura constitutum est, neque primus coitus necessario cruentus esse debet.

176

VI.

Inter inflammationem phlegmonosam et furuncularem differentia maxima.

VII.

Sympathiae et antipathiae phaenomenon in magnetismi theoria interpretationem invenit.

VIII.

Non cuicuique puellae, quae dispositionem ad nymphomaniam ostendat, matrimonium suadendum.